

disputatione centesima sexta, numero octavo, quem sequuntur Bonacina de matrimonio, questione tertia, puncto decimo tertio, numero vigesima nono, Castro Palao dicto tomo quinto, disputatione quarta, puncto decimo quarto, §. quinto, numero tertio, & Trullench. dicto libro septimo, capite nono, dubio decimo sexto, numero trigesimo septimo, dum tenent quod si hermaphroditus, qui sub specie viri contraxit, viduus fiat; quamquam juramento elegerit sexum, & promiserit alio non uti, si postea nubat viro sub specie feminae, quamquam peccatum committat, 75 juramentum transgrediendo, valide contrahit, quia natura concessit illi facultatem contrahendi sub utraque specie, quam non amisit per electionem unius sexus. Neque à jure naturæ, neque à jure Canonico simile matrimonium irritatur, cum non adit impedimentum dirimens hujusmodi contractum. Ergo similiter in nostra specie, & majori absque dubio ratione, quia electio sexus facta non fuit, neque juramentum præstitum de non utendo alio sexu; sed ut plurimum electio præsumitur facta secundum gestationem habitus, vel nominis sub quo unusquisque contraxit, quod non est sufficiens ad impediendam facultatem à natura concessam, dum eos produxit potentes in utroque sexu, neque potestatem reciprocam corporum provenientem ex matrimonio, per quod jam sunt duo in carne una.

77 Secunda ratio desumi potest ex communi doctrina Theologorum, & Canonistarum, quam cum Alberto Magno, Gabriele, Soto, Ovando, Matienço, Vivaldo, Vega, & aliis tradit idem Thomas Sanchez dicto libro nono, disputatione decima sexta, numero quarto. Quo probat quod excessus Veneroorum inter conjuges servato naturali vase culpam venialem non egreditur. Sequitur Castro Palao dicto tomo quinto, disputatione tertia, puncto quarto, §. 3, numero primo. Nam ea quæ inter conjuges fiunt casta, & pudica dicuntur, 78 Textus in lege mulier, vigesima secunda, §. cum proponeretur, Digest. ad Trebell. ibi: quod & mulieris pudicitia, & patris voto congruebat, notat aliis relatis Antonius Gomez in dicta lege octogesima, Taur. numero tertio. Sed in nostra specie conjuges corporibus in matrimonio vi-

ciisim traditis utuntur, & naturalia vasa servant ad procreationem sobolis, quia apta ad generandum sub utroque sexu supponuntur, ut in effectu sunt, cum ambo in utero gestare reperti fuissent: ergo si aliquis excessus in usu Corporum consideretur, non excedit culpam venialem.

Tertia ratio resultat ex traditis per Ferdinandum Castro Palao dicta disputatione quarta, puncto decimo quarto, numero quarto, ibi: Conjugio per hermaphroditum secundum unum sexum contracto, peccatum adulterii esse, altero viro; qui hermaphroditus nequit corpus suum alteri tradere. Et rectè, quia adulterium de jure Canonico, est violatio matrimonii quoquo modo fiat, ut omnes tenent; quia ut eleganter dixit Terullianus libro de monogamia, capite nono, ibi: Adulterium est cum quoquo modo disjunctis duobus, alia caro, imò aliena miscetur, de qua dici non potest: hoc est caro de carne mea, & hoc os de osibus meis. Et sic jure Pontificio attentio maritus, quoquo modo aliam cognoscat, adulterium committit. Textus in cap. nemo 4. 32. questione 4. capite 14. eadem caus. questione secunda, capite transmissa, de eo qui cogn. consanguin. capite intelleximus, de adulter. ubi Barbof. in collectan. numero secundo, & tertio, notant Antonius Faber jurisprudent. dicto titulo decimo, princip. 6. illat. 25. Layman libro quinto, tractat. 10. questione 3. cap. 3. num. 1. D. Covarr. dicto libro 4. decret. tit. de sponsal. 2. parte cap. 7. num. 5. (licet de jure civili solum committatur adulterium per uxorem, ut notat Covarrubias ibidem, & ego dixi 2. tomo de regim. Valent. capite 8. §. 8. num. 188. cum sequentibus.) Ratio dispositionis Pontificæ est; quia, ut dixi supra num. 62. ex divo Paulo; mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; nec vir sui corporis potestatem habet, sed mulier. Si ergo hermaphroditus altero sexu utendo adulterium committit, clarè sequitur quod neque in illa parte potestatem sui corporis habet, sed conjux. Ac per consequens iste conjux qui obtinet potestatem illius etiam partis, poterit ea uti licitè quando natura concessit ipsum habere membrum naturale ad hujusmodi usum.

82 Quarta ratio desumitur ex traditis à Doctoribus Medicis qui asserunt posse


dari in eodem subjecto multipliciter genitalium ejusdem sexus, ut ex Julio Obsequente refert Uliſſes Aldrovandus d. c. 5. pag. 512. litt. D, dum enarrat mulieres duplici vulva natas, imò post dict. pag. 41. ponit iconem feminae habentis duas vulvas in parte corporis assueta.

83 Hanc sententiam sequitur Paulus Zachias, d. g. 8. num. 34 & 35. si hujusmodi femina nupserit, nulla lege, vel ratione adstringitur ad simile vitium manifestandum, neque ad eligendum pro usu matrimonii unam, aut aliam vulvam. Maritus autem virtute potestatis acquiritur per matrimonium in corpore hujus uxoris poterit uti utraque vulva, neque aliqua lege adstringitur ad eligendum, aut antè aut post contractum, hanc, vel illam: absque eo quod accessus peccaminosus sit dum utraque apta sit ad coitum, & generationem. Ergo sic similiter in hermaphroditis, quia ex diversitate sexus non tollitur potestas corporum mediante matrimonio acquisita per contrahentes, & si nulla ratione impediri potest usus promiscuus illorum corporum ad bonum prolis, nisi adit jurisjurandi religio, quia semper conjuges utuntur corporibus in quibus potestatem habent ad finem naturalem, ratione cujus matrimonium institutum fuit.

84 Sed dices; hoc monstruosum est. Fa-teor; sed inter monstruosos conjuges solum contingere potest, cum eis lasciviente natura. Sed non inde crimen capitale imputandum, aut peccatum lethale statuendum, imò fragilitati condonandum, quiddam præter rerum ordinem evenerit, quia præter naturæ ordinem ipsi conjuges producti reperiuntur. Dices amplius turpia & indecentia videri. Non nego, sed ut diximus, corporum materialis conjunctio nihil habet dignum homine, omnia turpia sunt, sed hæc pudica & casta inter conjuges censenda ex d. l. mulier 22. §. cum proponeretur, ff. ad Trebell. Quare omnino cessat illa maxima indecentia, quam consideraverat doctissimus concivis P. Martinus Perez d. scilicet. 15. n. 2.

86 Ex quibus omnibus tenendum firmiter credo, delictum punibile in eis hermaphroditis non reperiri. Et quoad forum internum opinor, quod licitè utroque sexu uti poterant virtute potestatis corporum acquisitæ per matrimonium, cum facti fuissent duo in carne una ad

finem naturalem prolis, vel ad finem remedii incontinentiæ: quæ ut cætera, dicta sint sub correctione sanctæ matris Ecclesiæ. Sed de his satis, ne in re obscena plus debito laboremus.



CONTROVERSIA XLIX.

De corruptore, & raptore virginis Vestalis.

SUMMARIUM.

- 1 Facti species proponitur.
- 2 Corruptores virginis Vestales pœna mortis plecti debent.
- 3 Raptores eadem pœna tenentur.
- 4 Corruptores virginis memoratas tria crimina capitalia committunt.
- 5 Stuprum etiam quod est grave crimen.
- 6 Vestalium turpitudinem admittentium pœna apud Romanos.
- 7 Corruptores Vestales virginis eo jure cadebantur in commissis, usque ad necem.
- 8 Pœna quam hodie subeunt, tam illa, quam ista.
- 9 Raptus crimen adest, quando Vestalis septa Monasterii transgreditur violentè.
- 10 Extremis probatis medium probatum præsumitur.
- 11 Raptus pœna non vitatur, ex voluntate Vestalis.
- 12 Raptus pœna mortis naturalis est, omni jure.
- 13 L. 2. tit. 19. part. 7. explicatur.
- 14 Transgredi septa Monasterii cum scalis, vel similibus instrumentis, non est factum solius Vestalis.
- 15 Auxilium ab Amasio præsumitur præstitum.
- 16 Raptus committitur quando Vestalis abducitur à limine Monasterii adrefugium, vel receptaculum.
- 17 Fœmine sub aliena potestate existentis voluntas, nihil operatur ad raptus pœnam vitandam.
- 18 Vestales non sunt sui juris post professionem.
- 19 Vestales libertatem amittunt, ubi sub potestate Prælati sunt, non habent vellet nec nolle, & quidquid adquirunt, Monasterio adquirunt.
- 20 Coitus probatur per apprehensionem solius

solus cum sola, nudi cum nuda, in loco abdito, atque obscuro, horis suspectis, in eodem thoro jacendo.

- 21 *Text. in c. litteris de præsumptionibus, expenditur remissive.*
 22 *Probatio præsumptiva in delictis carnis admittenda est, ne delicta remaneant impunita.*
 23 *Decisio Aule causam Judici ordinario devolvendo, ut exequeretur.*

QUædam virgo Vestalis (fas sit ita appellari, ne sæpius sanctimonialium integritas flagitetur) septa Monasterii transgressa fuit noctu, relictis scalis in eisdem septis, & dum ab utriusque Jurisdictionis Judicibus, summo studio quæreretur, reperta fuit secunda vel tertia nocte post discessum, hora duodecima in domo Mariæ de Bustamante, recondita in cubiculo secretiori, sine luminibus, sola & nuda, cum solo, & nudo Justo de Valdivieso, qui in eodem thoro cubabant. Quod nota esset Mariæ incertum remanuit; sed Justus, non solum noverat, verum dum aderat in Monasterio conversationem profanam (devotionem nefariè vocant) frequentare solebat. Judex ordinarius urbis, qui de causa cognoverat, eum condemnavit ad pœnam ultimi supplicii, exequendam appellatione remota, consulta prius nostra criminum Aula, juxta formam traditam, *sup. contror. 3. num. 28.* Quærebatur an causa devolvenda esset Judici ordinario, ut sententiam exequeretur, an deernendum, quod venisset per suos trames?

- 2 *Supponebatur quod de jure cognoscens, seu flagitans virginem Vestalem pœnam mortis naturalis incurrit, ut probat Text. in Authent. de sanctif. Episcop. §. penult. collat. 9. tit. 6. ibi: Eos autem qui talia delinquunt, & participes eorum sceleris fuerint, capitale periculum suscipiant: maxime si suspicio raptus intercedat, Text. in l. si quis non dicam rapere 5. l. si quis in hoc genus 11. l. raptores 54. C. de Episcop. & Cler. l. unic. in princip. Cod. de raptu virgin. Neque nomine pœnæ capitalis, in his juribus de deportatione, relegatione, aut alia simili intelligi potest, ut opinantur relati per Farin. *quæst. 146. num. 4.* sed de morte naturali, ut concludit aperte Text. in dict. l. raptores, ibi: *Convicti interficiantur, & rursus,**

ibi: Durissimis pœnis afficiant, & mortis condemnent supplicio. Cum enim Imperator in principio dixisset, *capitis supplicio plectendos*: ac demum subiciat, quod interficiantur, & mortis supplicio condemnentur; explicat de qua capitali pœna Textus interpretandus sit, nempe de mortis naturalis supplicio. Et merito, quia Vestalem flagitantes, quatuor crimina gravissima unico flagitio committunt. Nempe sacrilegium quod ex se capitale est, Text. in l. sacrilegii 6. ff. ad leg. Jul. Pecul. ibi: *Scio multos ad bestias damnasse sacrilegos, multos etiam viros exussisse, alios vero suspendisse.* Adulterium, quod etiam capitale est, Text. in l. quamvis 30. in fin. C. ad leg. Jul. de adulter. ibi: *Sacrilegos autem nuptiarum gladio puniri oportet.* Incestum; qui eadem pœna qua adulterium punitur, Text. in l. miles 19. §. 1. ff. cod. ibi: *Qui sororis filiam contubernio habuit, licet non in matrimonium, pœna adulterii teneri videtur dicitur.* Quæ capitalis est, ut dixi. Ac tandem stuprum, quod pœna mortis coercetur, Text. in l. 1. §. ult. ff. de extrahor. crimin. ibi: *perfecto flagitio puniatur capite; imperfecto, in insulam deportatur.*

Idem Ethnicæ virginis Vestales corruptentes, ad necem usque, virgis in comitiis cædebant, ipsi virginibus vivis defossis, ut latè tradit Tiberius Decian. *lib. 6. tract. crim. cap. 20. num. 3.* & post eum Anton. Marth. *lib. 48. ff. tit. 3. cap. 6. num. 5.* Licet hæc pœna aliquoties innovata fuisset: nam è faxo Tarpeio præcipitem ejici lege cautum fuisse scribit Pater Seneca, *lib. 1. contror. 3. in princ. ibi: lex, incesta de saxo dejiciantur.* Ob quod variis pœnis Vestalem de stupro convictam affici tradit Langley, *semestr. lib. 12. cap. ult. circa fin.* Si enim hac severitate Ethnicæ utebantur in virginibus flagitantes, quia falsis diis sacratæ erant; quanto magis pœna exacerbantur in corruptente Virginem veri Dei sponsam, ac ritè sacratam? Ipsa enim in alio Monasterio detrudenda est, ut jejuniis, ciliciis, atque orationibus cautius custodita penitentiam agat toto vitæ tempore, ut in d. Auth. habetur, & probant Textus in cap. si qua Monacharum, & cap. si quis rapuerit 27. *quæst. 7.* Et qui eam corrupserit pœnam mortis incurrit, cum bonorum publicatione, applicandorum Monasterio in quo tempore, commissi criminis aderat, ut per dicta jura tenent Paulus Grillandus,

de pœn. omnifer. capit. quæst. 1. ex numero 10. Julius Clarus, in §. fornicatio. n. 27. & §. incestus, num. 1. & 2. ubi Bajard. in addit. Jacobus Menoch. de arbitrar. jud. cas. 389. num. 22. Tiber. Decian. d. lib. 6. cap. 20. num. 5. Peguer. decis. 43. num. 9. Petr. Gregor. lib. 36. syntag. c. 7. num. 6. Farin. q. 146. ex num. 1. Fontan. de pact. tom. 2. claus. 5. part. 2. num. 8. Petr. Caball. cas. 200. num. 72. Ant. Matth. d. lib. 48. ff. tit. 4. cap. 2. num. 6. Matthias Berliq. practicabil. p. 4. conclus. 32. n. 29. Barbosa, in collect. d. cap. si qua Monacharum, numero 1. cum seqq. & d. l. si quis non dicam, num. 3. & 6. Tamburini. de jur. Abbasfar. & Monial. disp. 11. quæst. 2. num. 5. cum seqq.

9 Neque in nostra specie raptus crimen deficiebat, quia concludenter resultabat, quod Monasterii septa transgressa fuit adhibitis scalis funicularibus quæ in septis remanserant: & cum hæc per ipsam solam perfici non poterant, auxilium præstitum per eum inferebatur ex eo, quod conversationem illicitam cum hac Vestali diu gesserat, & sic ab eo seductam fuisse sequebatur: quia femina in Monasterio reclusa; neminem quærere, neque occasionem infestandi dare poterat, ut in terminis considerat Tiber. Decianus d. cap. 20. numero 6. Et postea apprehensi fuerunt in eodem lecto nudi jacentes. Probatis namque extremis, media etiam probata censetur, *leg. sicut, §. non videtur. ff. quibus modis pign. vel hypot. solv. l. si quis ita, ff. de condit. & demonstr. ubi Bartol. cum aliis congestis per Gasciam, de Nobil. cap. 12. num. 33. Barbof. axiom. 145. num. 1. Don Larrea, allegat. 28. num. 26.* Et sicut qui utilitatem captat ex saltitate, ejus auctor præsumitur, ut pluribus dixi, *Controversia 7. num. 13.* sic similiter qui Vestali ad venetam utitur, præsumitur raptor, & infestator. Neque in hoc casu voluntate Vestalis quis excusari potest, quia Text. in d. l. si quis non dicam, etiam ac consentiente in raptu, pœnam acerbam flagitanti imponit; quæ absque dubio mortis est. Text. in d. l. raptores, & in d. l. unic. ibi, *maximè si Deo fuerint Virgines, vel vidua dicata:* ubi communiter Doctores, de quo plura notatu digna per Jacob. Gothofred. in lege 2. Cod. Theodos. de rapt. & matrim. sanctimonial.

12 In jure nostro Hispano idem cautum

reperitur per leg. 4. tit. 10. lib. 4. for. legum. l. 3. tit. 20. part. 7. l. 5. tit. 15. lib. 8. Ordin. l. 9. tit. 20. lib. 8. recopil. docent Dominus Greg. Lopez, in l. 11. tit. 13. part. 6. Gloss. 6. & in princ. d. l. 3. tit. 20. part. 7. Montal. in d. l. 4. for. leg. in Gloss. verb. *mueria por ellos*, Villadiego in leg. 2. titulo 5. lib. 3. for. judic. numero 2. Didacus Perez, in d. l. 5. Ordin. in gloss. vers. *Laicus autem*, Ant Gomez, in lege 80. Taur. num. 36. Azevedo, in l. 7. tit. 20. lib. 8. recopil. num. 59. Don Joann. Vela de delict. part. 1. cap. 5. numero 8. Ignac. Salcedo, in addit. ad pract. Bernar. Diaz. cap. 8. 1. vers. *laicus vero*, Pichard. in manduct. ad prax. part. 3. §. 4. num. 29. Joan. Gutierrez, Canoniar. lib. 2. cap. 7. numero 50. Zecvallos, commun. contra con. quæst. 902. numero 2. Qui omnes non obstante dispositione Text. in lege 2. tit. 19. part. 7. mitiorem pœnam imponentis, uno ore tenent, quod tam cognoscens, quam rapiens Vestalem, pœna mortis teneatur. Et ratio est; nam, in d. tit. 19. principaliter agitur de crimine incestus, & illius pœna; & pro eo crimine generaliter pœna imponitur Vestalem cum cæteris enumerando. Sed quia corrumpere has virgines detestabilis sit, quam coitus cum alia consanguinea, vel affine, ut per se patet; inde est quod religiosissimi judices Hispani, ex sacrilegio, & adulterio, concurrentibus cum incestu pœnam aggravent usque ad mortem, quia per noviores leges nempe d. l. 5. ord. & l. 7. recopilat. abrogata lege Partita, relicta fuit pœnæ corporalis impositio in terminis juris communis ibi: *allende de las otras penas en derecho establecidas, pierda la mitad de sus bienes*, ut latius dicitur infra *contror. seqq. num. 31.* Quibus additur, quod eodem jure coitus violentus cum qualibet femina honesta pœna mortis plectitur, ut probat Text. in d. l. tit. 20. part. 7. Et violentia adest, quoties apparet deceptio feminae, blanditiis vel fraude, Text. in d. lege unic. 1. c. de rapt. virg. & in l. 1. tit. 19. part. 7. ibi: *En manera de fuerza en forçar, e salagar las mugeres sobredichas con prometimientos vanos, faciendoles hacer malada de sus cuerpos, e aquellos que traen desta manera mas yerran, que si lo haxessen por fuerza.* Quæ verba singularia sunt: & cum omnibus istis responderi potest, ad l. 2. tit. 8. lib. 4. for. leg. quæ concordat cum d. l. 2. part.

His itaque positis, omnis ratio dubitandi in nostra specie cessat. Primo ratione raptus probati per abductionem à Monasterio; nam præter ea quæ dicta sunt in auxilio præstito ad transgrediendum septa cum scalis, ipse reus confessus erat Vestalem abduxisse à limine Monasterii, quando de illo egressa fuit, usque ad porticum cuiusdam cœnobij in quo ambo pernoctaverant. Quod fieri non poterat absque conscientia transgressionis septorum, & complicitate recessus, imò raptus tunc verè patratus fuit, cum sit abductio violenta libidinis causâ, ut omnes Doctores tenent, signanter Clarus, in §. raptus, in princ. Tiber. Decian. lib. 8. cap. 7. num. 4. Farin. quest. 145. num. 2. cum seqq. violentia namque probata erat, quia inducitur per malas artes, ut ex d. lege 1. tit. 19. part. 7. di. cum remanet, & sic in specie tenuerunt Decian. d. cap. 7. num. 4. Farin. dict. quest. 145. num. 105. 109. & 215. Berliq. part. 5. conc. 41. num. 5. Et cum in feminis sub aliena potestate existentibus raptus committatur etiam ipsæ consentium præstent, Text. in l. 1. Cod. Theod. de rapt. virgin. Joan. Bapt. de Thoro in comp. decis. tom. 5. verb. raptor qui prætexitur. Berliquius d. concl. 41. num. 5. ubi alios refert, & ego notaveram, tom. 2. de regim. Valent. cap. 8. §. 8. num. 181. ita ut ipsæ consentientes se rapi, eadem pœna plectantur, ut in dict. lege 1. habetur ibi: & si voluntatis adensio detegitur, in virgine eadem pœna qua raptor severitate plectatur, in cuius comment. plura Jacob. Gothof. vers. Quinimo. Et Vestales non sint sui juris, quæ per emissionem professionis, Superioribus Ordinibus subijciuntur, libertatem amittunt; non habent velle nec nolle, & quicquid adquirent, Monasterio adquirent, Text. in Auth. ingressi, C. de sacros. Eccles. cap. 1. & 2. in Trident. sess. 25. de reform. regul. Baldus in cap. cum magistrum vers. in Glossa de election. Gutierrez, lib. 2. canonicar. cap. 1. num. 37. Barbof. in collect. d. cap. 2. Trident. per totum. Imò Abbatissa maiorem potestatem dominativam habet in Vestalibus, quam pater in filiis, ut tenent Emanuel Rodriguez, t. 1. quest. regular. quest. 25. per totum, Ledesma, tom. 2. summe tract. 10. cap. 1. Angles. in florib. part. 2. quest. unic. de voto, art. 7. diffinit. 7. Ovandus, in 4. sent. distinct. 38. disput. unic. propof. 19. Vivald. in can-

delab. sacram. part. 3. cap. 14. numero 98. Lessius, libro 2. de iust. & jur. cap. 40. dubio 13. numero 107. Suarez, de relig. tom. 3. tract. de voto lib. 6. capite 7. numero fin. & cap. 13. numero 1. cum sequent. Layman. in summ. Theolog. moral. lib. 5. tract. 5. cap. 16. numero 5. Castro Palao, in oper. mor. tom. 3. tract. 16. disp. 4. punct. 3. num. 2. cum seqq. Sayrus, in clavi Regia, lib. 6. cap. 10. num. 7. Soto de iust. & jur. quest. 5. art. 5. Navar. in manual. cap. 12. num. 63. Lezana tom. 1. sum. regul. cap. 16. num. 15. Vasquez in 1. 2. quest. 96. art. 4. disput. 175. cap. 4. num. 26. Tambur. de jur. Abbat. tom. 1. disput. 25. quest. 1. num. 274. & de jur. Abbatissar. disput. 32. quest. 6. num. 2. Hieron. Garcia, in polit. regular. tom. 1. tract. 3. disput. 3. dub. 4. num. 2. cum seqq. clarè sequitur, quod pœna raptus vitari non possit, etiam si de voluntate raptæ evidentè appareat, ut plurius probat Farin. d. quest. 145. num. 220. & etiam si copula subsecuta non fuisset, in d. l. 4. tit. 10. lib. 4. for. leg. expressè dicitur, Quibus addi poterat, quod iste reus fugam cum Vestali præparabat, ad quod pecuniæ magnam summam, juxta illius status facultatem, congregaverat, & derelicta uxore, latitabat cum Vestali donec fuga securior fieret. Et sic animo, & facto perseverabat in raptu, feminam alterius potestati subiectam ad veneras res retinendo, quando per iudicem fuit præventus.

Quoad stuprum, quia in hac specie concurrebant omnia requisita per Textum, in cap. litteris, de præsumpt. Et per Doctores illius interpretes. Nudus enim cum nuda apprehensus fuit; solus cum sola repertus; in eodem lecto jacentes visi; in loco addito atque secreto, cubiculo nempe superclauso, extra proprios lares, ubi lectorum copia reperiri facillimum erat, ita ut neque affectatæ necessitatis prætextu excusari posset; in lacris, quia absque lumine, & in intimis totius domus; hora nocturna, ad omne nefas electa, ita ut omnino sequeretur commixtio nefaria. Poterat namque sollicitè detinere, abscondere, & secum ducere Vestalem, per biduum & amplius ab hora egressus è septis? Carebat dolo fuga præparata, & de proximo exequenda? præsumi poterat post diurnas confabulationes, quod in eodem lecto cubabant absque

absque criminis necessario argumento: Plura circa hæc dicta sunt per Mathefillanum, Mascardum, Menochium, Hæctorem Amilium, Cravetam, Didacum Perez, Alphonsum de Azevedo, Thomam Sanchez, Padillam, Petrum Barbofam, & alios adductos per August. Barbof. in collectan. dist. cap. litteris, numero 2. & nos latè disserimus, sup. controvers. 11. ex numero 17. quare non immoramur. Cum enim copula directè probari non possit, plures teneantur quod requisita dictus Textus, non debent verificari copulativè, ut plena probatio resultet, sed quod sufficit concursus aliquorum. Sed in hac specie omnia copulativè concurrebant; & sic copula, & stuprum plenè probabantur, in quantum materia subiecta patitur. Ob quod ne delictum atrocissimum impunitum remaneret, simile genus probationis admissum fuit per Text. in l. divus 9. ff. de quest. quam ad rem pluribus exornat Giurba, consil. 2. numero 45. & consil. 37. numero 2. & doctissime Anton. Marthaus lib. 48. ff. titulo 15. cap. 4. per totum. Et Aula decrevit causam devolvendam esse Judici ordinario, ut sententiam executioni mandaret.

CONTROVERSIA L.

De nefario coitu inter vitricum, & privignam.

SUMMARIUM.

- 1 Facti species proponitur.
- 2 Incestus nomen genericum est comprehendens nefarium coitum.
- 3 Incestus à quo derivetur. Cœtus Veneris quid? ibid.
- 4 Incestare, est polluere, sed verbum generale plura significans.
- 5 Incestus ab uroque derivatur.
- 6 Incestus proprie solum significat accessus inter consanguineos, vel affines collaterales.
- 7 Nefarius coitus patitur inter eos qui Parentum, & filiorum loco sunt.
- 8 Nefarii coitus pœna de jure Canonico.
- 9 Nefarii coitus pœna de jure civili confundi solet cum pœna incestus, quæ D.D. Laur. Matthæu, de Re Crim. Pars 1.

arbitraria est.

- 10 Incestus pœna de jure civili eadem cum pœna adulterii.
- 11 Adulterii pœna capitalis effecta fuit, hoc est mortis, sive gladii.
- 12 Adulterii pœna, quoad feminas mitigata à Justiniano.
- 13 Incestus pœna in femina, si prohibitio descendit à jure naturali eadem cum viris.
- 14 Lege speciali causum reperitur, quod incestus, pœna capitali plectatur.
- 15 Incestus pœna de jure Hispano antiquiori, erat detrusio, vel exilium.
- 16 Incestus pœna jure Partitarum eadem cum adulterio, quæ est mortis.
- 17 Incestus pœna pecuniaria jure Hispano noviori, est amissio medietatis bonorum.
- 18 Incestus pœnam jure Hispano hodie esse arbitriam aliqui contendunt.
- 19 Adulterii pœna ordinaria, hodie est mortis.
- 20 Arbitrium exequendi sententiam, vel indulgendi pœnam marito concessum, nihil immutat de pœna, sed executionem respicit.
- 21 Severitas legum cum temperamento benignitatis adhibenda est.
- 22 Lex Partitarum pœnam incestus definiens, non loquitur de nefario coitu.
- 23 Nefarius coitus, gravissimum scelus, est.
- 24 Pœna imposta cognatis nefarium coitum patrantibus, comprehendit affines, qui loco parentum, filiorum sunt.
- 25 Coitus vitrici cum privigna, & ceteri hujus generis, jure naturali prohibentur.
- 26 Nefarius coitus inter hos affines, jure divino prohibitus.
- 27 Nefarii coitus turpitudine, ex Philosophorum dictis.
- 28 Bruta animantia hos congressus detestantur.
- 29 Leges nostræ distinguentes, nefarium coitum ab incestu.
- 30 Nefarii coitus pœna, sicut incestus, remanet in dispositione juris.
- 31 Nefarii coitus pœna de jure communi, est mortis.

Idem tenent nostri Doctores, qui discretive